



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

N.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

quod mutuans se tantum tempus? Negativè respondent DD. communiter. Et probat Molina de iust. tom. 2. tractat. 2. disp. 308. numero 8. quia ista privatio est beneficium meræ liberalitatis, unde mutuans non inducit super se obligationem aliquam, quæ perinde aliquo lucro compensari possit. Sed hæc ratio non placet, quia, ut advertit Salas de iuris, dub. 9. num. 12. revera mutuans manet obligatus ad non repetendam pecuniam infra tantum tempus. Igitur probatur primò conclusio à Lesio l. 2. c. 20. dub. 14. quia contraria sententia videtur nova. Secundo, quia non posse repetere pecuniam infra aliquod tempus est quid intrinsecum mutuo, alioquin non differret à precario.

Quamvis Sed his non obstantibus, affirmativam sententiam amplexi sunt Ledesma pr. 2. tract. 8. cap. 35. concl. 4. & Coelestinus comp. tract. 11. cap. 5. quest. 2. Primò, quia omnis obligatio civilis est pretio æstimabilis. Secundò, quia tale onus indebitum non tenetur mutuans gratis subire. Tertio, quia aliquem artistam suo instrumento privati, est quid pretio æstimabile, ergo similiter privati suis pecuniis mercatorem, quæ sunt eius instrumentum. Quarto, quia id exigit bonum Reipublicæ. nam multi sunt, qui pecunia indigent, & mercatores nolunt mutuare gratis, ne se privent commoditate negotiandi per cambia, vel aliis modis, unde æquum est, ut mercatores de communi consensu constituent certa pretia carentiæ pecuniæ maiora, vel minora, habita ratione copiar, vel inopiæ pecuniæ, mercium, &c. Præsertim quòd cum hac privatione concurrat ut plurimum aliqua ratio iusta exigendi locum pro mutuo, ut periculum, lucrum cessans, damnum emergens, labor, & diligentia in parandis pecuniis, &c. Ad argumenta primæ sententiæ, responderi posset, opinionem non carere auctoritate, cum eam doceant præfati Doctores. Nec esse de ratione mutui, quod mutuans careat facultate petendi pecuniam ad certum, & determinatum tempus, sed ad aliquod

Summa Diana.

tempus in determinatum. Differre vero mutuum à precario, quòd in hoc non transfertur dominium, sicuti transfertur in mutuo. Ita illi. Sed an probabiliter, alii iudicent, par. 1. tr. 8. ref. 48. & p. 5. tr. 16. ref. 50.

17 Quæres hic. An liceat petenti De quodam mutuam pecuniam, respondere. No- contractus, lumus tibi mutuare pecuniam, sed dubium qui dicit tibi tantam pecuniam in mercibus summo tur, Stoc- pretio ad creditum? Respondeo. Vide V. co. Contractus, num. 5.

NECESSITAS.

Necessitas triplex est, extrema, *Necessitas* gravis, & communis. Extrema *quotuplex?* est, quando cui defunt necessaria natura: gravis, quando defunt necessaria statui; Communis eorum, qui mendicant, vel in conservando proprio statu aliquam inopiam patiuntur. Vide V. *Eleemosyna*. Vbi invenies quis, ex quibus bonis, & in quibus necessitatibus eleemosynam dare teneantur. Potest etiam pauper in extrema, vel gravi necessitate debita non solvere, & necessaria clam surripere. *Et qualiter sublevanda.* part. 11. tractat. 1. resolutione 13. Vide V. *Restituere*, n. 37. & seqq. & Vide *Pauper*. De necessitate Sacramentorum, vide sub singulis eorum nominibus, & reliqua in singulis materiis.

NEGOTIARI.

Negotiari est emere rem, & *Negotiari* eam sic manentem reven- *quid?* dere. Potest esse illicitum ex multis capitibus. Præsertim ratione personarum. Nam Clericis in Sacris constitutis, & Religiosis negotiari per se prohibita est *Et qualiter Clericis, ac Religiosis prohibita.* in cap. consequens. dist. 88. vbi Gelasius ait: Clericis ab indignis quaslibet ligiosis prohibitionis ingenio cessandum, aut in quocumque gradu sunt positi, mox à clericalibus officiis

M m m m

ciis

viis cogantur abstiner. Ex quibus verbis patet contra Caietanum, in summ. v. Clericus, Clericum, & Religiosum negotiantem peccare mortaliter. Nisi, ut advertit Cenedo *par. 1. collect. 37. numero 2.* semel aut iterum negotiaretur, nam tunc esset solum peccatum veniale ex levitate materiae. *par. 11. tract. 3. resol. 70.* Non tamen, si negotiaretur per alium, nam Clericis prohibitum solum est negotiari perse. Ita contra Megalam in 2. 2. libr. 2. cap. 5. quasi 5. num. 157. Lesius lib. 2. capite 2. dub. 1. numero 4. & Novissimè Vigiers tract. 5. cap. 5. dub. 2. numero 1. & *par. 1. tract. 8. resol. 72.* Et si non est constitutus in Sacris, quavis sit beneficiarius, alicui apud Molinam de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 342. num. 2. concedunt negotiari posse perse ipsum & hoc quidem satis probabilem, quamvis Salas de emp. dub. 2. num. 5. & alii negent *par. 1. tract. 8. res. 73. & par. 7. tr. 10. res. 20.* Idem videtur dicendum de Novitiis, nondum sacris ordinibus initiatis; quos licet Dicastillus de iust. l. 2. tra. 9. disp. 5. dub. 5. n. 241. neget posse negotiari: tamen cum Hurtado de contr. disp. 2. diff. 17. contrarium omnino est tenendum, quia negotiatio per sacros Canones est interdicta Clericis in sacris constitutis, & Religiosis, sed Novitius absolute non est Religiosus, nec in odiosis venit sub nomine Religiosorum: ergo cui talis lex sit pœnalis, non comprehendit Novitios. *p. 7. tr. 10. res. 21.*

Clericus & Clericus autem negotiator non solum peccat mortaliter, sed amittit exemptionem gabellarum. Pro vere gabellat. quo tamen adverte primò, quod non statim, ac Clericus negotiatur, amittit exemptionem, sed requiritur, ut ter prius ab Episcopo admoneatur. Ita Lopez *par. 2. cap. 41.* & alii, cum quibus Pereira *par. 2. c. 24. n. 35.* contra Malderum in 2. 2. tr. 5. c. 6. dub. 9. & alios *par. 1. tr. 2. res. 47.* Post trinam *par. 3. tr. 1. res. 44. par. 4. tr. 1. res. 28.* Et hæc monitio debet esse omnino triplex, non enim sufficit una pro tribus. Ita Quoad bo. Acugna in decret. *par. 1. dist. 88. cap. 2. nu. 6.* & patri. contra Angelum v. Clericus, num. 3. *par. 3. monialia. tract. 1. res. 44. §. Notandum.* Secundò,

quando Clericus negotiator ter admoneatur amittit exemptionem gabellarum, non illam amittit quoad bona Ecclesiastica, sed tantum quoad patrimonialia. Ita Comitulus lib. 1. quasi 53. n. 4. contra Layman lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 9. Ibid. §. Nota etiam. Tertio, quando Clericus negotiator tenetur solvere gabellam, non potest pro eius solutione conveniri coram Iudice laico. Vide V. Gabella, num. 9. Quarto, non omnis venditio rerum propter lucrum Clericis est prohibita: quia non omnis talis venditio est negotiatio, sed ea solum, quam mercatura rerum præcedit in finem venditionis absque vlla melioratione probatus, est Clericos non posse emere lanam, ut pannum inde confectum vendant, *Pa. mmis ven- laus 10. 3. tractat. 16. disp. 4. punct. 13. §. 3.* & ditio probi Molina, *res. cit.* Igitur si Clericus vendat botur Clo- vinum, triticum, oleum, & alia ex redditibus beneficii, aut bonis patrimonialibus provenientia, etiam si aliud asportet, ut carius vendat, non est proprie negotiator, ita Soula in Bull. Can. cap. 19. *conf. 1. num. 4.* & alii contra Grassum de effect. Cleric. *eff. 3. num. 138.* Qui non bene as- Et ipsam ferit, Clericum in tali asportatione teneri solvere Regaliam, quæ non est gabella, nam Regalia non est aliud, quam cens mul- gabella portus, ut docet Montanus, *vo- tipliciter de in l. inter publica; §. fin. ff. de verb. signif. excusatur.* proventus ex portu inter fisci vectigalia numerantur. *par. 5. tract. 1. res. 27.* Quintò, Pereira *par. 2. cap. 24. num. 30.* multipliciter Clericos negotiantem excusat à solutione gabellarum? Et primò, si habeat tennes redditus, quibus familiam ægre alere possit. Secundò, si lucra negotiationis ex industria propria, rebus melioratis, vel immutatis sibi proveniant. Tertio, si maiorem partem bonorum negotiationis non exponat, vel si omnia, non tamen perse, sed per amicum. Sed ex his aliquam ap probavimus, aliqua verò nimis laxa sunt. *par. 4. tractat. 1. resol. 17. §.* Non do- sinam.

4 Petes hic, an liceat cum alterius Negotiari pecunia in scio domino negotiari? Re- cit alterius spondeo affirmativè, dummodo gara- pecunia in- tam

pro neſci-
te, eſt illicit-
um.
tam pecuniam habeat pro eo tempore,
quo eam dominus requiſiturus ſit Nam
lucrum negotiationis eſt fructus indu-
ſtriæ; pecunia enim eſt de ſe infœcun-
da. Ita Beza *part. 1. caſ. 42.* Igitur the-
ſaurarii Principum, vel Civitatum, &
ſervi poſſunt cum pecuniis dominorum
quieſcentibus negotiari. Sicut vendi
poſteſt alterius triticum eo tempore,
quo carius valet, & requiſitum, poſteâ
emi euſdem quantitatis, & qualitatis,
quam iſis minori pretio. Et Molina *de*
uſu tom. 2. tractat. 2. diſp. 402. numero 2.
docet, quod ſi dominus mittat famu-
lum cum nummis aureis ad ſolvendum
creditori, non curans in qua moneta
ſolutio fiat, poteſt famulus nummos
aureos cum argenteis commutare, &
lucrum ex tali cambio minuto prove-
niens retinere. *part. 1. tractat. 8. reſolutio-*
ne 32. non poſſunt per alios negotiari
ut principales part. 9. tractat. 7. reſolutio-
ne 09.

Negotiatio
quidam
dubia.
5. Petes ſecundò: An hæc ſit negotia-
tio prohibita? ſi pecunias, quas ex pro-
priis redditibus, vel fructibus habes in
alio regno, non poſſis ad te Romam, ubi
illis indiges, afferre ſine magno detri-
mento, & iactura, ex eo quod moneta
Neapolitana v. g. minus Romæ valeat,
quam Neapoli: & ided ne afferas pecu-
nias Romæ minus utiles, facis ea pecu-
nia emi Neapoli merces aliquas, quas
Romæ vendere poſſis eodem pretio, &
fortaſſe maiori. Distinguendum puto:
Nam vel Neapoli pecunia illa æquiva-
let Romæ in valore, ita ut non plus
valeat Iulius Romanus, quam Neapo-
litanus; vel non æquivalet. In primo ca-
ſu licita erit negotiatio, in ſecundo non
item, & hæc omnia docet Lugo *de uſu*
tom. 2. diſp. 27. ſect. 3. num. 33. cui ego ut ſa-
tis probabiliter loquenti adhæreo part.
7. tract. 10. reſol. 21. ver. Sed hic. Negotia-
torum geſtator, ſeu procurator a-
lienorum, non tenetur de cul-
pa, etiam leviſſima *part.*
8. tract. 7. reſ. 35.

Procura-
tor alieno-
rum non
tenetur de
culpa.

NOVITIATUS.

1. **N**ovitiatuſ debet durare per an-
num integram, continuam, *Novitia-*
computatum de momento ad momen- *us durare*
tum. Vide infra V. *Profeſſio, n. 7.* *debet per*
annum ino-

2. Novitiatuſ non interrumpitur, ſi *tegrum.*
morbi curandi cauſa, vel recreationis, *Non inter-*
& c. de Prælati licentia. Novitius in do- *rumpitur,*
mum ſe transferat. Ita Zanardus *p. 2. c. 6. ſicum Præ-*
Immo ad morbum curandum v. g. p. *lati licen-*
teſt manere extra Monafterium per ma- *tia novi-*
iorem anni partem. Ita Sanch. *ſum. to. 2. l.*
5. c. 4. n. 28. Et Azor. to. 1. l. 12. c. 1. 78. ita
loquitur de Novitio, qui apud ſæculares *clauſtra.*
extra Conventum toto probationis an- *Etiã per*
no moratus eſt cum licentia. Idque *maicrem*
procedit, etiam ſi licentia detur à ſupe- *anni par-*
riore ſine iuſta cauſa *p. 3. tr. 2. reſ. 84.* *tem.*

3. Si autem Novitius abſque licentia *Secus ve-*
Superioris clauſtra relinquat, & poſtea *ro, ſi abſq̃*
redeat, novitiatuſ interrumpitur, & *licentia.*
non continuatur. Sed, Leſius *lib. 2. cap. 4.*
dub. 7. num. 59. in hoc prætat dari parvi- *Niſi quod*
tatem materiæ, quam dicit eſſe pauco- *aliqui in*
rum dierum, quia continuitas Novi- *hoc admit-*
tatuſ requiritur ad experiendas Reli- *tunt parvi-*
gionis aſſeritates, quas non minus ex- *tatem ma-*
peritur, qui paucos dies intermittit, & *teria.*
in fine anni poſtea ſupplet. Naldus *verò V. Novitius, numero 4.* determinat,
egreſſum à Monafterio per tres, aut
quatuor dies impedire moralem conti-
nuationem, qui proindè ſentite vide-
tur, vnius aut duorum dierum intermiſ-
ſionem non impedire. At Suarez *de Relig.*
tom. 3. lib. 5. cap. 15. num. 6. diſtinguit, &
ſi novitius exeat habitu dimiſſo, & ani-
mo non revertendi, ſufficere ad mora-
lem interruptionem quodlibet tempo-
ris ſpatium: quia tunc cenſetur mutaffe
ſtatum, & indiget nova receptione. Si
verò exeat cum habitu, animo rever-
tendi, non interrumpi, etiam ſi ma-
neat per aliquot dies, niſi à Prælato di-
mittatur. Igitur ſecundum Suarez in-
terruptio novitiatuſ procedit ab eo e-
greſſu Monafterii, qui in ſingulis Re-
M m m i ligio.

ligionibus est sufficiens, ut necessaria sit nova receptio. *pars 5 tr. 5 ref. 19.*

Et novitius inter-ruptus Frustrum Minorum ex quodam privilegio potest continuari.

4. Adverte etiam, quod Fratres Minores habent privilegium Iulii II. quod in eorum ordine novitiatus interruptus continuari possit: quod privilegium putat Rodriquez *99. Reg. tom. 3. quæst. 15. art. 8.* non esse abrogatum per Tridentinum *sess. 25. capite 25* quia hoc requirit novitiatus annum integrum, non autem continuum, docerque hodie omnes Religiones, eo per communionem uti posse. At Villalobos *tom. 2. tractat. 35. diff. 35. numero 9.* putat sublatum esse, & testatur de declaratione Cardib-

Valer novitiatus pars dim in uno monaste-rio, & partim in alio factus.

facti contingentia apud Navarrum. *part. 3. tom. 2. resolutione 89.* vade validus est novitiatus factus partim in uno conventu, & partim in alio. Bordonus, & alii. *parte 9. tractat. 7. resolutione 44.*

5. Circa hanc materiam de novitiatus interruptione, vide plura ingeniose conscripta à nostro doctissimo Bordonio in suo erudito Tractatu de Professione Religiosa, *l. 4. g. 11.*

NOVITIUS, NOVITIA.

Novitius gaudet privilegio Religionis.

Novitius est de familia Monasterii, & pars communitatis Religionis, & communicat cum Religiosis professis in omnibus favorabilibus, privilegio canonis, fori, & exemptionis gabellarum. Nec obstat, quod possit ad sæculum redire; nam etiam acolytus potest habitum dimittere, & tamen, dum non dimittit, gaudet privilegio Ecclesiasticorum. Ita Molina *tom. 3. tractat. 2. disp. 671. num. 2.* & omnes ferè Theologi cum Grasso de *off. Cleric. off. 3. num. 13.* & aliis Iuriconsultis. *part. 1. tractat. 2. ref. 38.* Idque ex speciali privilegio Societatis procedit in eius Novitiis directè, & in Novitiis aliarum Religionum per communicationem. *part. 3. tr. 2. ref. 73.*

Nota. nota. 2. Igitur in primis Novitius non sub-

est iurisdictioni laicali, nec puniri potest à iudice laico ob delicta commissa in sæculo. Vnde V. *Iudex laicus, à numero 14.*

Vbi etiam habebis, quod habitum dimitteas, puniri non possit ab eodem pro delictis in Religione commissis. Extenditur autem conclusio etiam ad Novitios Ordinum militarium, S. Ioannis, S. Iacobi, Alcantaræ, & ceterorum habentium tria vota, & constitutiones à Summo Pontifice approbatas. Nam, sicut Novitii Religionum Regularium gaudent privilegio fori, ita etiam Novitii milites, quia, ut bene docet Novatius, valet argumentum de

statu Regularium ad statum, & Religionem militarium. Ita docet Marchinus *resolutione pro Novit. D. Iacobi. etc.* declaravit Sacra Congregatio apud Riccium *tractat. 4. resolut. 249. numero 3.* Quod si licubi est contraria consuetudo, ut de hoc Regno testatur Maltrillus *decis. 290. numero 156.* ea non est attendenda, quia est contra immunitatem Ecclesiasticam, reprobata à Sacris Canonibus, & singulis annis in Bulla Cœnæ. Nec obstat, quod dicti Equites quandoque multos annos in novitiatu transigant; nam hoc eis non tollit privilegium fori, ut bene probat Marchinus. Vide etiam Carlevalium de *iud. lib. 1. tit. 1. disputat. 2. quæst. 6. sect. 3. an. 39. par. 5. tractat. 1. resolut. 18.* Deinde Novitius non tenetur solvere gabellas. Vide V. *Gabellas num. 11.* Præterea absolui potest ab omnibus castibus & censuris; ac dispensari in omnibus irregularitatibus, à quibus & in quibus absolvi, & dispensari possunt sui Ordinis professi, si ve protestate ordinaria suorum Prælatorum, si ve privilegiorum virtute. Ita Bordonus de *Prof. Reg. c. 4. quæst. 36.*

An verò habitum dimitteas in illa re incidat, vide infra, *n. 7.*

3. Porro, quamvis Novitii communent in favorabilibus Religiosorum, per Prælatos ab odiosis tamen exempti sunt. Unde in primis Novitius quoad Sacramentum Pœnitentiæ non subiicitur dispositioni Prælatorum Regularium ut professi, sed absolui potest à Co-

bus, & confessorio iuris à qui-

est subiectus iudici laico.

Etiam si Novitius Ordinis militaris approbatus.

Potesque ab odiosis tamen exempti sunt. Unde in primis Novitius quoad Sacramentum Pœnitentiæ non subiicitur dispositioni Prælatorum Regularium ut professi, sed absolui potest à Co-

bus, & confessorio iuris à qui-

bus absolui fessario seculari, approbato tamen ab
 possunt pro- Ordinario. Nec obstat decretum Clem.
 fessi. VIII. de Reform. Nouit. ibi Quilibet Noui-
 Caterit nō tius ubi prouincia audiendi Nouitio-
 comprehē- rum confessiones eorum Magistro so-
 duntur in lūm committitur; nam decretum illud
 pœnalibus non est latum per modum præceptis
 professorū. sed consilij, ut patet ex eo, quod vitur
 Et ideo No verbis imperatiuis soli magistro commit-
 uitiāz cōfi- tatur; quæ verba, ut docet Caietanus, &
 teri potest alij, non continent præceptum. Et sanē
 Presbytero si Nouitius cum solo Magistro confiteri
 seculari. possit, esset peioris conditionis, quam
 Et absolui professi, qui ex alio decreto Clem. VIII.
 à Religiois: confiteri possunt tribus, vel pluribus
 referuatis: Confessariis à Superiore in qualibet
 domo designandis; cum tamen DD.
 communiter doceant, Nouitios gaudere
 re favorabilibus Religiois, & non li-
 gari pœnalibus. Ita Nouitius de elect. fori-
 sectio 2. quæst. 63. num. 13. & alij multi con-
 tra Peregrinum add. ad Const. Cler. Re-
 gul. par. 3. q. 8. Et hæc opinio procedit
 etiam quoad referuata Religiois, ut
 dictum est V. Casus, n. 11. Aduerte tamē,
 quod quamuis confessio Nouitij facta
 cum Confessario seculari, etiam quoad
 ad referuata, sit valida, non tamen est li-
 cita: & ideo talis Nouitius expelli debet
 referuata Religiois. Ita Rodriguez in Bull. 9.
 n. 20. par. 1. tr. 6. ref. 27. & Hinc p. 3. tr. 2.
 ref. 4. & n. 10. & p. 4. t. 4. ref. 5. Deinde, No-
 uitiū non comprehenditur in Bulla Clē.
 VIII. prohibente largitiones munerum
 Religiosis. Ita Faustus thes. lib. 81. quæst.
 206. & alij. par. 1. tract. 6. resol. 27. Rursus,
 per Bullam Cruciatz eligere sibi pos-
 suat Confessarium, & per illum absolui
 à referuatis, & censuris, sicut seculares.
 Ita Vecchius p. disp. 9. dub. 5. numero 5. Et
 edere lacticia in Quadragesima. Ita
 Fernandez par. 3. cap. 9. §. 5. numero
 3. par. 1. tract. 11. resolutione 15.
 4. Nouitius in renuntiatione bono-
 rum (quæ valorem habet per T. identi-
 num, si fiat intra duos menses ante pro-
 fessionem, secuta professione, & non
 aliter,) potest sibi referuare electionem
 puellarum, quibus suis hæres tenetur
 quotannis certam pecuniæ summam

distribuere, etiam si sit Capuccinus, quia
 in hoc non interueniunt litigia, con-
 tractationes, vel administrationes. Ita
 Vecchius p. dispensatione 8. dub. 13. num. 2.
 & alij. contra Politium in reg. Capuccin. Et factus
 cap. 6. nu. 77. & alios tenentes, quod Re-
 religiosus non potest executionem vtri-
 marum voluntatum excipere. Aduerte
 autem, quod supradicta nominatio cum sua renun-
 licentia Superioris fieri postea debet.
 dubia in
 ciatione in
 par. 3. tract. 2. resolutione 74. & par. 5. tra-
 uenta.
 ctat. 3. resolutione 128. §. Notandum. Post
 factam verò renuntiationem, & testa-
 mentum potest Religiosus, si aliquod
 dubium est, illud declarare dum modo
 verbis convenientem declarationem ad-
 hibeat: quia hoc non est disponere, sed
 solum ostendere, quid actum sit in præ-
 terito. Ita Reginaldus tom. 2. lib. 18. cap.
 27. num. 397. contra Mirandam tom. 1.
 quæst. 23. ar. 1. par. 3. tr. 1. ref. 75.
 5. Nouitius habitum dimittens sine Nouitius
 causa non peccat, nisi venialiter. At si
 Prælati illi sine causa expellat, se sine causa
 cundum Suarez de Relig. 1. mo 3. libro 4. peccat solū
 cap. 3. numero 7. peccat mortaliter. Quod
 etiam dicendum cum Vecchio p. dis-
 p. 12. dub. 1. numero 4. & alij. contra
 Sanchez sum. 1. mo 2. lib. 5. cap. 4. numero
 59. de Religioso negante suffragium
 Nouitio in st. Nam tenetur ex in-
 iustitia in tali acceptatione rectum iudi-
 cium ferre, in qua imploratur ut iudex,
 & Nouitium idoneum non priuare tam
 magno bono, ac seculi periculis obice-
 re. Confirmatur, quia retrahens, quem
 piam ab ingressu Religiois sine iusta
 causa, peccat mortaliter contra chari-
 tatem, ut docet Peyrinus de Relig. 1. mo
 2. quæstion. 4. cap. 29. & alij: ergo multo
 magis negans suffragium sine causa;
 quia non solum retrahit, sed expellit.
 Nec est paritas de Nouitio sponte re-
 cedente; nam eius recessus nihil obest
 Religioni; nec ipse illi perseverare
 promittit; & sic non tenetur ex cha-
 ritate, aut iustitia perseverare. At
 quod Nouitius idoneus expellatur,
 magnum ipsi, & aliquod etiam Reli-
 gioni incommodum sequitur. Et
 M m m m 3 Religiosi

Religiosi in hac re non sunt domini Religionis, sicut Nouitius est dominus sui ipsius, sed iudices, unde hac obligatio non est iustitiae commutativae & reciproca; sed distributivae, vel charitativae. *par. 1. tract. 2. resolutione 19 & par. 7. tract. 9. res. 26.*

Et non tenetur ad expensas Monasterii reddendas. 6 Nouitius retrocedens, secundum opinionem sustentabilem à Peregrino comm. ad Const. Cler. Reg. par. 2. cap. 1. lit. C. § 10. estimatam, tenetur ad expensas, quas fecit Monasterium in ipso alendo: quia Nouitiis Monialibus, victum, & vestitum parentes suppeditant, & Tridentinum sess. 16. cap. 16. docet, in casu retrocessionis conventum restituere debere omnia Nouitiis suis parentibus, deductis victu & vestitu: quae exceptionem non apposuit, nisi Nouitij ad id tenerentur. Sed hac opinio est contra communem apud Sanchez *sum. tom. 2. lib. 5. cap. 10. n. 4. & alios.* Tū, quia cum Nouitius liberè ad saeculum quandoque redire possit, si hoc esset, aliquando etiam teneretur. Deinde quia bona Monasterij non tantum sunt ad alendos Professos, sed etiam Nouitios. Et tandem, quia eo ipso, quod quis Religionem ingreditur, conventus servitius applicatur, quae satis videntur ad eorum pensandum frugalem victum & vestitum cuiuscumque Nouitij, quamvis inepti. Ad argumenta supra facta respondetur. Ad primum, consuetudinem interpretatam esse Concilium pro Monialibus, non pro Religiosis viris. Ad secundum, Concilium illud decernere in casu, quo parentes subministrarent alimentum Nouitij pro toto anno ab initio; nam tunc, si infra annum rediret, conventus non reatetur restituere expensas iam exhibitas. Ita Suarez de Relig. 10. 3. lib. 5. c. 11. n. 5. par. 3. tr. 2. res. 16.

Nec reindicit in casibus excommunicatus à quibus abscit in Relegione solutus fuit per privilegia Ordinis 7 Nouitius retrocedens non reindicit in casibus: diris, censuras, irregularitates, & reservationes uata, à quibus absolutus, & dispensatus à quibus abscit in Relegione virtute Privilegio solutus fuit cum, quae adducit Rodriguez *quas. 10. per privilegia art. 21. vel cuiusdem privilegij Clementia IV. & aliorum, quae adducit Vecchia us. 4. §. 9. dub. 25. num. 3.* nisi in casibus

expressis in iure. Et ratio est, quia absolutio purè, & simpliciter data non debet explicari, quod data sit ad reincidentiam, ut notat Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 24. n. 6. nisi ita in privilegio aut facultate exprimat, vel casus sit expressus in iure. In privilegiis verò reincidentis non explicatur reincidentiam. Ergo Et idem dicit de eo, qui à reservatione & censuris absolutus animo lucrandi lubilzatum, nam si postea non lucratur, adhuc remanet absolutus. *par. 3. tr. 2. res. 34.* An Nouitius ad saeculum rediens puniti possit à iudice laico pro delictis in Nouitatu commissis, & idem de dimissis à Societate, si nullum habeant Ordinem, vide V. *Index laicus, n. 15.*

8 Nouitius moriens secundum Villalobos tom. 2. tract. 3. diff. 2. nu. 13. potest sibi eligere sepulturam, sicuti habitum dimittere, & ad saeculum redire possit. Si verò non eligat, sepeliri debet in suo Monasterio. Vide V. *Sepulturam, n. 8.*

9 Nouitius sacris ordinibus non iniciatus potest negotiationem exercere. Cardia de Lugo. Non est negotiatio, si pecunia sibi soluenda ex redditibus Venetiis non æquivaleret Romæ, ubi vilis est, possunt emi merces Venetiis, etiam si carius Romæ vendantur; ubi acceptæ sint pecuniæ, non intendendo principaliter lucrum, sed æquivalentiam monetæ recipiendæ. Card. par. 7. tr. 10. res. 21.

10 Informationes sumendas quoad Nouitios virtute Bullæ Sixti V. & Clæ VIII. non debemus intelligere pro universis, sed pro Clericis, non solum excedentibus 16. annum, sed etiam ante ipsos iuxta Decreta Urbani VIII. intra Italiam, & insulas adjacentes; extra verò standum est constitutionibus Sixti sed si curiosi scire cupias, lege *par. 9. tr. 8. res. 54.*

11 Superior Regularis potest suos Nouitios excommunicare, sicut & alios, quia in eos habet jurisdictionem, Bordonus. *par. 9. tr. 8. res. 59.*

12 Testamenta Nouitiorum, & Clericorum, non solum condenda sunt cum solemnitatibus Ecclesiasticis, eorum idem

Nec potest puniri à iudice laico pro delicto commissio in Religione.

An Nouitius moriens possit eligere sepulturam?

Possit vendere pecuniam Romæ ex mercibus quæ cariores venduntur, quæ Venetiis.

Informatio nos intelliguntur de clericis tantum.

Superiore

et eorum idem

denda sunt etiam iure
civilis.

13. Malè facit professus loquens cum Noniio absque presentia sui Magistri. Peyrinus *part. 9. tract. 7. resolutiones.* & si nouitius fecit sex menses, vt laicus in nouitiatu potest profiteri vt clericus, quia compleuit annum integrum essentialem pro professione. Diana & alij, *part. 9. tr. 6. res. 12.*

O B S T E T R I C E S.

1. **O**bstetrices in casu necessitatis possunt puerum baptizare, proferentes formam in lingua vernacula. Quam an teneantur scire, vide *verb. Baptism. num. 41.* Obstetrix, quæ plures infantes inualidè baptizauit, qui modo dispersi inueniuntur, quid facere debeat, vide *verb. Baptismi, num. 54.*

O C C I D E R E
Tyrannum.

1. **I**nter homicidia, quæ honestat iustitia, primum est occisio Tyranni. Circa quam, dico primò, quòd si Tyrannus ita dicitur quia subditos tyrannicè tractat, cum alioqui habeat verum titulum, & sit legitimus dominus, tunc nullo pacto occidi potest, & contrarium dicere est hæreticum, & damnatum in Concilio Constantensi *sess. 15.*

2. Si verò Tyrannus dicitur, quia vi, vel fraude Regnum inuadit, tunc Caietanus *lib. 2. quest. 64. art. 3.* Strouersdorf *ibid. lib. 1. qui sine quest. 3.* & alij dicunt, licitè à priuato in isto titulo quolibet occidi posse, concurrentibus duabus conditionibus, quarum vna uadit. Dū est, quod non possit aliter Respublica à tyrannide liberari; altera, quòd non timeantur maiora damna ex illius morte nascitura. Ipse verò dico secundò cum Filiuccio *tom. 2. tractat. 28. cap. 1. numero 14.* quòd, si talis Tyrannus actu

Regnum inuadit, satis probabile est occidi posse auctoritate priuata: nam tunc Regnicola iure se defenderent ab iniusta inuasionè, ducem aduersarij exercitus trucidando, quæ est via expeditior ad libertatem. Si verò semel Regnum inuasit, & qualemcumque Principatus possessionem retinet, in hoc casu dictam sententiam dubiam videri, suspectam, ac nemini consulendam: quia nullus è possessione ciui debet inauditus. Et quodcumque scelus, quantumuis euident, exigit sententiam declaratiuam, *gloss. in cap. euident. de accus. Et tandem, restanti commenti, & quæ publicum iudicium postulat, non debet committi priuari cuiuscumque iudicio. parte 5. tractat. 4. resolutione 21.*

O C C I D E R E
Bannitum.

2. **S**ecundò ratione iustitiæ licitū est occidere Bannitum, quando Respublica dat cuiilibet facultatem. Sed *

3. Nota primò, quòd filius non potest licitè patrem bannitum occidere: nam Respublica non tollit in tali casu obligationem naturalem filij erga patrem. Ita: Clarus *pr. crim. lib. 5. §. Homicidium, num. 61.* contra Bartolum & alios. *part. 5. tractat. 4. resolutione 25. §.* Nota tamen.

4. Nota secundò, quòd, quamuis Filius alij dicant, bannitum vbiicumque occidi posse, etiam extra territorium Principis proscrībentes; id tamen Filiuccijs *tom. 2. tractat. 28. cap. 2. num. 24.* & alij nō admittunt, nisi interueniret consensus saltem tacitus, vel rationabiliter præsumptus illius Principis, in cuius territorio inuenitur, vel nisi bannitus esset à Summo Pontifice, cuius iurisdicctio se extendit per totū orbē. *part. 5. tr. 4. res. 24.*

5. Nota tertio, quòd Bonacina de

Licit etiam occidere bannitū; Sed nō esse filio

Nec extra territorium Principis proscrībentis.